



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

51. An Episcopi possint exequi legata pia, etiam contra laicum tertium
possessorem. Ex p. 5. tr. 1. resol. 24.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

quatur, tamen multi alij contrarium affirmant. Ducuntur, quoniam adimpletio voluntatis defuncti in ipsius defuncti bonum, Episcopis ex officio suo est commissa, etiam quando non est ad pias causas, vt ex multis iuribus ostendit Panormitanus in d. c. si heres de test. n. 3. & relect. c. cum esset de test. n. 32. quare in consequentiam pertinet etiam ad Prælaturum, quando aduersus executores, aut heredem laicum intentatur actio, efficere vt ea via in defuncti bonum ipsius voluntas mandetur executioni. Atque hæc opinio, vt communior, & magis pia placet, Ita Molina, & iterum ego.

2. Vnde ex his infertur contra Ceuallos tr. de cognit. per viam violentie p. 2. q. 21. n. 8. Caldas de nomin. emph. q. 19. n. 56. Bobadillam in poli. l. 1. c. 17. n. 103. & alios supradictam opinionem esse veram; etiam si in testamento non adsint legata pia, sed tantum legata profana; & etiam quando iudex secularis non esset remissior in administranda iustitia; vel non solum quando iudex Ecclesiasticus ex officio vellet executores compellere ad legata persoluenda, sed etiam quando ad instantiam partis laicum conueniretur ad legata non pia, vt patet ex Molina vbi supra, & aliis DD. absolute, & sine vlla distinctione nostram sententiam tenentibus.

RESOL. LI.

An Episcopi possint exequi legata pia, etiam contra laicum tertium possessorem? Ex p. 5. tr. 1. Ref. 24.

§. 1. Non desuerunt his diebus negatiuam sententiam docentes, & inter alia contra libertatem Ecclesiasticam suscitata, hoc etiam statuere. Sed immerito quidem, nam esto quod se apponat tertius possessor, potest tamen Episcopus esse executor piarum dispositionum. Probatur primo, quia iura praeferentia Episcopo hanc facultatem, non se restringunt, vt tantum contra heredes procedere possit, sed absolute & indistincte loquuntur. Ergo indistincte debent intelligi ex Gutierrez praet. 99. l. 4. q. 29. n. 14. Secundo pro executione legatorum, & ad ea consequenda, tres dantur actiones, personalis scilicet, realis, & hypothecaria, vt patet ex textu in §. nostra autem, vbi glossa & Doctores, Insti. de legat. Et ideo coram Episcopo poterunt proponi istae actiones, prout natura negotij patitur; si enim datur ius exequendi, debet etiam dari modus & actio. Vnde quando agitur contra tertium possessorem, tunc non erit locus actioni personali, quia ipse non est heres, erit tamen locus rei vindicationi pro rebus legatis consequendis, in tantum quod hæc actio poterit intentari etiam hereditate non adita, quia non requiritur subiectum actionis personalis, sed dominium ex parte agentis, & possessio ex parte rei conuenta, vt per textum l. in rem ff. de rei vendicat. §. omnium autem, & Doctores, Insti. de action. Tertio pro consequendis rebus legatis, & acquirenda eorum possessione, datur etiam aliud remedium, scilicet Saluanum interdictum, & potest etiam contra tertium possessorem intentari, quod si verum est in legatis profanis; multo verius erit in piis; & ideo etiam contra tertium possessorem Episcopus erit legitimus executor piarum dispositionum, alioquin facile eluderetur eius officium, interuertendo possessionem bonorum legatorum, vel testatoris in tertiam personam. Et hæc omnia indiuiduatim docet, & ex multis aliis probat Ioannes Baptista Ciarlinius in controuers. forens. c. 28. n. 25. & seq. cum Gratiano in disceptat. forens. l. 1. c. 62. a. n. 27. Vnde nescio quare aliqui poterint hoc Episcopis interdiceret.

RESOL. LII.

An iudices laici possint se intrromittere in Executione legati pij aut sui casus mixti fori? Ex p. 4. tr. 1. Ref. 99.

§. 1. Executionem etiam talium legatorum esse mixti fori, tradit Io. Honorius in comp. iuris can. lib. 3. tit. 26. n. 20. Valens in Decret. l. 2. tit. 26. §. 8. n. 4. Marta de iurisdict. pari. 2. c. 11. n. 14. & Sanchez in opus. l. 2. lib. 4. c. 1. dub. 54. n. 4. Tiraquellus de priu. pia causa. priu. 149. & ibi Ioan. Baptista Thorus & alij penes ipsos, asserentes executionem legatorum piorum pertinere ad vtrumque iudicem, Ecclesiasticum & secularum.

2. Sed hæc opinio videtur procedere in terminis iuris ciuiliis, per l. hereditas, & l. nulli, C. de Episc. & Cler. l. hereditas ver. finali. ff. de petit. her. & alios textus, Verum atento iure Canonico priuatiuè executio legatorum piorum solis Episcopis commissa videtur, vt patet per cap. tua, de test. in illis verbis. Cum igitur in omnibus piis voluntatibus sit per locorum Episcopos prouidendum, vt secundum defuncti voluntatem vniuersa procedant, &c. vide etiam c. si heredes eodem tit. & Concil. Trident. sess. 7. c. 15. & sess. 22. de reform. c. 8. & ita hanc sententiam docet Bonacina de contr. disp. 3. quaest. 18. punct. 1. §. 10. n. 1. vbi sic ait. De legatis piis periculum est competentem ipsorum iudicem esse Ecclesiasticum; non verò secularum, quia nulla causa excedit spheram, seu terminos iuræ actiuitatis: legata autem pia non sunt intra spheram, seu terminos & limites iurisdictionis laicæ. Sic ille, & alij, praesertim Spino in speculo test. glossa 28. n. 44.

Sup. hoc in Ref. seq. & supra in tr. 8. Ref. 39.

RESOL. LIII.

An iudex laicus, data negligentia heredum, & Executorum, possit se intrromittere in adimplerione non solum causarum profanarum, sed etiam piarum? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 55.

§. 1. Negatiuam sententiam alibi docui, quam, me citato, mordicus sustinet nouissimè Carolus Maranta: in tr. de iure Eccles. resp. 1. praecipue à n. 83. & seq. & alij, quos citat Pereira de manu Regia, p. 1. c. 16. n. 3.

Alibi in Ref. praeterita & in alia eius notu

2. Non est tamen negandum affirmatiuam sententiam docere viros doctos, quos citat & sequitur Ioseph Vela, in felt. 14. n. 46. vbi sic ait. Declinatoria non obstat nec habet locum, cum testamentorum, maxime ad pias causas disponentium executio ad Episcopum, eiusque Vicarium, vel alium Prælaturum Ecclesiasticum, cumulatim cum seculari iudice, prout quilibet praetererit, pertineat. Ita ille. Vnde Dicastil. de Inst. lib. 2. tr. 19. disp. 3. d. 11. n. 182. ita asserit, spectato iure communi, iudex tam Ecclesiasticus, quam secularis, compellere potest heredes, vel executores laicos ad exequendas vltimas voluntates, si negligentes sint. Est enim hoc officium iurisdictionis mixti fori, daturque locus praerogationi; & hanc sententiam tenet etiam Vvadin. tr. de contr. disp. 4. dub. 13. §. 5. n. 11. Fagun. de Inst. lib. 6. c. 4. n. 2. Molina de Inst. l. 1. tr. 2. disp. 134. n. 5. Gutt. in 99. pr. lib. 1. q. 41. n. 3. Carpius de exec. test. lib. 1. c. 21. n. 3. qui optime tamen cum Marta hoc non intelligit, quoad pias causas merè spirituales, in quibus iudex laicus ex c. decernimus, de iudiciis, non potest se immiscere.

RESOL. LIV.

An si quis relinquatur elector pauperum ad distribuend. elemosinas; data negligentia, electio deuoluatur ad Episcopum.